

Alterum Cornelii Centurionis Exemplum futi-
lius multo iactatur. Quod enim ait Doctor An-
gelicus Cornelium Christi Fidem duntaxat impli-
citatam habuisse, dum & religiosus, & timens
Deum est dictus, Fidem implicitam intellexit de
circumstantiis Incarnationis (num scilicet jam tunc
re ipsa peracta fuisset) non de substantia ejus-
dem; quam vel ex fama publica, vel ex Judæo-
rum Religioforum conversatione didicerat. Qua-
re non ad eum missus est Petrus, ut Incarnatio-
nis substantiam doceret, sed circumstantias tantum,
impletum scilicet tempus, & modum. Addide-
rim, non liquere omnino, an talem, tantamque
tunc temporis Fidem haberet Cornelius, quanta
erat illi necessaria, ut iustus fieret, & Salutem
aeternam posset obtinere, etsi talem, tantamque
haberet, ut & religiosus, & timens Deum dici
posset. Non enim idem sonat religiosus, ac ti-
mens Deum, ac iustus, atque fidelis. Quare quo-
cumque res cadat, nil inde contra nos colligi
potest, qui de Fide ad justificationem, atque Sa-
lutem aeternam obtinendam necessaria disputa-
mus.

Nec meliori titulo exempla nobis objiciunt Ca-
techumenorum, qui de rebus Fidei quadam suc-
cessione edocentur; & Puerorum, qui ad primum
instans Rationis usus perveniunt. Catechumenus,
inquit illi, Christianam Religionem paulatim
edoctus, ac veluti per gradus, & intervalla, cum
primum ab Instructore suo inaudit, Deum quem-
dam supra Naturam omnem existere, summumque
in ordine supernaturali & Remuneratorem, &
Providens esse, Fidei, ac etiam Charitatis ac-
tum elicit, quo justificatur; quanquam nullam
adhuc habeat Incarnationis, & Trinitatis, de qui-
bus nihil audivit, explicitam Fidem. Si autem
justificatur, Salutem igitur aeternam, si tunc forte
moriatur, assequitur; cum damnari iustum, im-
possibile sit. Pari modo, subiungunt Illi, Puer
ad primum Rationis usus instans perveniens, si
se ad Deum, uti Naturæ Auctorem converterit,
eumque sibi finem præstituerit, justificabitur, ex
mente Doctoris Angelici 1. 2. quest. 89. art. 6.
Non potest autem primo illo Rationis usus instan-
ti de Mysteriis Incarnationis, & Trinitatis edo-
ceri; cum ad id aliquid temporis intervallum
desideretur: potest igitur quis sine explicita My-
steriorum illorum Fide justificari, atque ita sal-
vari.

At ludunt Illi operam suam, binis illis pro-
ductis Exemplis. Unde enim habent, (Deus bo-
ne!) Catechumenum illum suum in Fidei, &
Charitatis actus, quibus justificetur, statim eru-
pere, ubi Deum Providorem, & Remuneratorem
audivit? Quinimo qui ab eo tunc elicitur actus
(si tamen elicitur, de quo dubium est mihi) non
nisi simplex est complacentia de Deo Providore,
ac Remuneratore; quæ tametsi supernaturalis di-
ci possit, ad justificationem tamen minime suffi-
cit: ad Deum enim ita diligendum, ut Justifi-
cationis Gratia conferatur, fides in Redempto-
rem est necessaria, quam nondum tunc habere su-
ponitur Catechumenus.

Unde etiam habent, Puerum illum, ad pri-
mum Rationis usus instans perveniens, de My-
steriis Incarnationis, & Trinitatis edoceri non
posse? Cum non sit illud instans physicum, sed
morale, quod aliquam temporis moram impor-
tet, quanta scilicet bonæ Institutioni capien-
dæ sufficiat.

Unum superest hac in parte, quod negotium
facessere solet: quod nempe nonnulli in ipso et-
iam Ecclesiæ sinu sint omnino stupidi, hebetes,
bardi, ac plane plumbei, qui media vix Animæ
parte utuntur, imo quibus Anima pro sale data

videtur, ne putrescant, non ut intelligant. Ti-
vero qui, quæso, Trinitatis Mysterium explici-
te credent, qui ne illius quidem ideam animo
ingere, mentemque concipere valent? De his ita
nos pronunciamus: vel stuporem illum, bardita-
temque propria iniquitate, vitioque sibi concin-
narunt; & tunc certe, quod Trinitatis Myste-
rium explicite credere nequeant, damnabuntur:
aut ab ipsa Natura traxerunt, studioque vincere,
atque superare nequiverunt, & sic quidem Pue-
rorum, Stultorumque loco habendi sunt; qui absque
ullo Fidei actu salvantur, sacri Baptismatis effi-
cacia, atque virtute naturalem defectum supple-
nt; cum Nemo ad impossibile teneatur.

Hactenus de interno Fidei actu disseruimus,
dum Fidei explicitæ Mysteriorum Trinitatis, at-
que Incarnationis necessitatem post Salvatoris Ad-
ventum, sufficientemque Evangelii promulgatio-
nem, ut quis aeternam Salutem adipiscatur, prop-
ugnauimus. Reliquum modo est, ut de externo
ipsius Fidei actu, seu de publica ejus Professione
disputemus. Qua de re nobis in sequentibus ser-
mo erit.

PRÆLECTIO IX.

Quandam, & quibus in occasionibus teneatur Fi-
delis publicam Fidei professionem emittere, variis
Regulis assignatis, expenditur: Fidem autem o-
re negare, licere nunquam, asseritur, propugna-
tur.

Media duntaxat Officii parte defuncti sumus,
dum de interno Fidei actu, deque ejus ad
Salutem Necessitate disputauimus: restat altera
pars multo gravior, ac difficilior expedienda;
quæ in actu exteriori Fidei explicando tota ver-
fatur. Duplicem enim Fidei actum distinguit A-
postolus ad Roman. cap. 10. internum unum, quo
Fidem Mente concipimus, externum alterum,
quo Fidem Mente conceptam publice profiteremur:
Cordis enim, inquit, creditur ad iustitiam; ore
autem confessio fit ad salutem. Quare uti de primo
actu jam diximus, ita de altero in præfati di-
cendum.

De externo itaque Fidei actu, seu de externa
Fidei Professione facienda geminum in Evangelio
præceptum legimus; Matthæi cap. 10. affirmans
unum, quo jubemur Christum coram Hominibus
confiteri; negans alterum, quo vetamur Christum
aliquando negare. Omnis ergo, qui constabitur me
coram hominibus, constebit & ego eum coram Patre
meo, qui in cælis est; qui autem negaverit me
coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre
meo, qui in cælis est. Quia vero id discriminis
intercedit inter præcepta affirmantia, & negan-
tia; quod illa certis tantum in casibus, ista in
omnibus obligent; idcirco primo definire necesse
est, quinam casus illi sint, quibus præceptum
affirmans implere, Fidemque exterius profiteri
tenemur sub pœna peccati mortalis. Qua in re
binas has generales Regulas pono: Prima Regu-
la hæc esto: quoties quis publica auctoritate de
Fide, ac Religione interrogatus est, ita eam pu-
blice profiteri tenetur, ut si taceat, graviter pec-
cet: quia tunc Christi Honor vertitur, confes-
sionisque omisso in injuriam illius cedit: Qui tunc
non confitetur, censetur Christum erubescere, cu-
jus in Evangelio vox illa est Luca cap. 9. Qui
me erubuerit, & meos sermones; hunc Filius Ho-
minis erubescet cum venerit in majestate sua, &
Parris, & Sanctorum, Angelorum. Hinc illa a
Sanctissimo Pontifice Innocentio XI. damnata
quorundam Theologorum Propositio, anno 1679.
2. Martii. Si a potestate publica quis interroge-

tur:

tur: Fidem ingenue profiteri, ut Deo & Fidei glo-
riosum, consulo; tacere, ut peccaminosum per se
non damno. Cui Propositioni Hæreticos etiam no-
ram affricuit Clerus Gallicanus in Comitibus gene-
ralibus anni 1700. Hæc propositio scandalosa est,
præceptis Evangelicis, & Apostolicis contraria, hæ-
retica.

Secunda Regula esto: Dum Proximorum Fi-
des in discrimen vocatur ob Hæreticorum artes,
atque insidias, nec alio potest modo occurri tan-
to periculo, nisi aperta publicaque ejusdem Fidei
Professione, tunc certe faciendæ est. Tunc enim
ex præcepto Charitatis, quo unicuique mandavit
Deus de Proximo suo, publicæ Fidei Professionis
obligatio incumbit. Ita decernit D. Augustinus
lib. de Fide & Symbolo cap. 1. Salvi fieri non possu-
mus, nisi & nos salutem Proximorum nitentes et-
iam ore profiteamur Fidem, quam corde gestamus.

Cæterum iis subtilis occasio, si alia for-
tassis occurrat, in quibus Dei, Christi, & Ho-
nor non vertitur, nec Proximi Salus ob Hære-
ticorum artes in discrimen adducitur; tantum
abest, ut ex Divino præcepto Fidem cum vitæ
periculo publice profiteri tunc teneamur, ut po-
tius prudenti silentio tegeri debeamus. Hinc an-
tiquis Ecclesiæ Canonibus cautum est, ne ii Mar-
tyrum titulo ornarentur, qui a Gentilibus occisi
fuerint, illorum Idola frangentes, ab illis licet
minime provocati, sed ut se Christianos ostenta-
rent: Si quis Idola frangerit, & ibidem fuerit occi-
sus, quatenus in Evangelio scriptum non est, ne-
que invenitur sub Apostolis unquam factum, placuit
in numero eum non recipi Martyrum: can. 60. Con-
cilio Eliberitani. Refert quoque D. Augustinus
in Breviculo cap. 13. Mensurum Carthaginensem
Episcopum, sevientem Diocletiana persecutione,
Decretum edidisse, ne Martyrum honore affice-
rentur illi, qui nec citati, nec interrogati a
Magistratibus, iis sponte occurrerant declarantes,
se Sacros servare Libros, nunquam a se traden-
dos: quo sane modo publicam Fidei suæ Pro-
fessionem imprudenter edebant.

Difficultatem tamen adversus binas a nobis sta-
tutas Regulas de Fide certis in occasionibus pu-
blice proficiendæ, non levem ingerit solemnæ Ec-
clesiæ Doctrina, de licita fuga in persecutione.
Quoniam tandem modo conciliari ista possunt;
imposita scilicet nobis Fidei in persecutione pu-
blice proficiendæ obligatio, & data simul fugen-
di licentia? Certe licitam esse fugam in persecu-
tione Christus ipse, & Apostoli ejus tum dicto,
tum facto docuerunt. Christus enim recens natus
Herodianam persecutionem effugit, dato cælitus
Josepho Mandato, Matth. cap. 2. Surge, & acci-
pe Puerum, & Matrem ejus, & fuge in Egyp-
tum; & esto ibi usque dum dicam tibi. Eutu-
rum est enim, ut Herodes querat Puerum ad per-
dendum eum. Fugit & grandior factus persecutio-
nem Judæorum, Joan. cap. 8. Tulerunt ergo lapi-
des, ut jacerent in eum. Jesus autem abscondit se,
& exiit de Templo. Imo fugiendi præceptum
Apostolis suis dedit, Matth. cap. 10. cum autem
persequerentur vos in Civitate ista; fugite in aliam.
Fugisse se quoque scribit Apostolus 2. ad Corin-
thios, cap. 11. Damasceni Præpositus Genes Arete
Regis custodiebat Civitatem Damascenorum, ut me
comprehenderet: & per fenestram in sparta dimis-
sus sum per murum, & sic effugi manus ejus.
Hoc idem Exemplo suo docuit Præfules Sanctis-
simi, qui excitata in ipsos persecutione aufuge-
runt, suamque fugam omnino licitam scriptis do-
ctissimis comprobant, S. Cyprianus, S. Atha-
nasia, S. Petrus Alexandrinus, S. Basilus, S.
Cæsarius, alique non pauci. Ex hac ergo Do-
ctrina de fuga in persecutione licita, tot Exem-

plis comprobata, & confirmata, objicit fortasse
nobis aliquis contra binas statutas antea Regu-
las, de faciendâ in persecutione publica Fidei
Professione: Qui oborta sevientique persecutio-
ne fugit, Fidem negligit profiteri: sed licet au-
fugere; non tenemur itaque profiteri publice Fi-
dem.

Minime vero, repono ego; imo, si rem ipsam
serio perpendimus, hæc ipsa fuga, quædam Fi-
dei Professio est; non verbo quidem expressa,
sed facta. Quisquis enim, excitata persecutione,
aufugit, hac ipsa sua fuga significat, esse se illius
Religionis, ac Fidei Professore, contra quam
excitata est persecutio; alioquin nulla illi aufu-
giendi necessitas esset. Stant igitur ista duo,
optimeque coherent; obligatio Fidei proficien-
dæ, & licentia fugiendi in persecutione: imo
fuga tunc arrepta, exiliumque sibi ipsi indi-
ctum, martyrii genus est libera Voluntate susce-
ptum.

Quia tamen sin minus Invidiositas, at saltem
Ignavia, abjectique Animi argumentum fuga in
persecutione arrepta videri potest, pensanda cir-
cumstantiæ sunt, quæ fugam in persecutione lici-
tam, aut illicitam reddant; certæque pariter Re-
gulæ præsidendæ, ne quorundam ignaviam excu-
sare videamur. Primo ergo, si quis in persecu-
tione fugam arripit, ut se melioribus temporibus
servet, vitamque pro aliorum salute procu-
randa interim, & ad tempus tueatur, prudentiæ
actus est. Sic Christus, sic Petrus, sic Paulus,
sic Cyprianus, sic Athanasius, sic & alii tam
multi, de quibus antea diximus, aufugerunt, ut
se melioribus servarent rebus: unde & Christus,
qui primus fugiendi dedit Exemplum, dicebat
Joan. cap. 7. Tempus meum nondum advenit. Et
eodem capite dilectus Discipulus de Illo inquit:
Et nemo misit in illum manus; quia nondum
venerat hora ejus. Secundo; si quis in persecu-
tione fugam arripit fragilitatis suæ conscientis, quod
fatis in se virum non experiat, ut durum illud
Martyrii certamen ferre valeat, rem licitam facit.
Sic enim hac ipsa sua fuga Fidei, & Eccle-
siæ Honori prudenter consultit, quem alias in
summum discrimen adduceret. Tertio; si fuga in
Christi contumeliam non vergat, & pro Fidei
negatione non æstimetur, tunc quoque licet aufu-
gere: aliter sacrilega fuga est; qualis Apo-
stolorum fuga fuit tempore Passionis Christi Domini,
dum relicta eo fugerunt, Matth. cap. 26.
Quarto; si nondum de fidelis Homine supplicium
suum captum est, licet adhuc illi aufugere: al-
tibi tragica illa Actio capta est, cecidit & fu-
ga negationis loco reputatur: quia qui testimo-
nium Fidei dari captum deserit, causam Fidei
prodit tanquam Desertor; ut fecit quadraginta
illorum Martyrum unus, qui e stagno gelido, in
quo una cum focis conjectus erat, desiluit, aufu-
git, Confessionemque deseruit: Martyr compro-
bensus debet tenere constantiam, non comprehensus
debet fugere persequentem, inquit S. Petrus Chry-
sologus Serm. 151. Quinto; si talis conditionis
Persona sit, quod illius præsentia non sit aliis Fi-
delibus necessaria, ut & ipsi in Fide teneantur,
& confirmentur, licita fuga est: verum, si talis
conditionis Persona sit, quod illius præsentia sic
Fidelibus necessaria, ut & ipsi coartentur in
Fide, (quales profecto Episcopi sunt) prohiben-
tur aufugere, Joan. cap. 10. Bonus Pastor Animam
suam dat pro ovibus suis, Mercenarius autem, &
qui non est Pastor, cuius non sunt oves propriæ,
videt lupum venientem, & dimittit oves, & fu-
git: & lupus rapit, & dispergit oves. Quare hæc
pro Episcopis peculiaris est Regula altera mente
desigenda, alioque signanda lapillo: si in solum
Episco.

Episcopum, non item in Gregem sciat perle-
cutio, servatis jam notatis Regulis, potest Epi-
scopus aufugere; verum, si sciat etiam in Gre-
gem, aufugere Episcopo nefas est: quia ejus præ-
sentia ad Gregis sui custodiam, ut & ipse conti-
neatur in Fide, est summopere necessaria: quod
& Cyprianus, & Athanasius, & Basilius, & Pe-
trus Alexandrinus exemplo suo firmarunt. In eos
enim duntaxat, non in Gregem persecutio ferve-
bat, dum aufugerant: atque hæc de Præcepto af-
firmante publicæ Fidei Professionis, quo nempe
jubemur sub mortali peccato Fidem exterius, ac
publice profiteri.

Sequitur modo Præceptum negans, quo nempe
vetatur, ne Fidem aliquando negemus. Quod
quidem Præceptum pro conditione Præceptorum
negantium & semper obligat, & ad semper; ut
plane nunquam liceat Fidem exterius abnegare,
quantumvis etiam corde teneatur. Eo in Capite
Hæreseotarum, & Priscillianitarum Errorem,
jam dudum ab Ecclesia proscriptum, posuere Eu-
sebius Cæsariensis Lib. 6. Historiarum cap. 28. &
S. Augustinus Lib. de Hæresibus cap. 70. quibus
illud erat familiare proloquium: *Jura, perjura,
secretum prodere noli: licet ora negare Fidem, mo-
do teneatur in corde: Christo Domino ex opposi-
to pronunciant, Matth. cap. 10. Qui autem ne-
gaverit me coram hominibus, negabo & ego eum
coram Patre meo, qui in caelis est: Et Apostolo
2. ad Timoth. cap. 2. Si negaverimus, & Ille ne-
gabit nos.*

Neque huic Præcepto neganti satisfit, si, Chri-
sto exterius abnegato, ejusdem Fides teneatur in-
terius: Fides, ut sequitur Augustinus Lib. de Fi-
de, & Symbola cap. 1. officium a nobis exigit,
& cordis, & lingua. Cujus triplex ratio est
prorsus invisita: Prima, quia Præceptum negans,
de Fide scilicet nunquam abneganda, imponitur
ad evitandum mendacium in re gravi, imo longe
gravissima: porro perinde mendacium est, si,
quod rei est, neges exterius, quantumvis, quid re
ipsa sit, interius teneas. Imo in eo maxime menda-
cium est positum, ut negemus ore quod mente
tenemus. Secunda, quia Præceptum de Fide nun-
quam abneganda, imponitur, ut Dei, ejusque
Ecclesie fervetur Honor. Porro vel hoc ipso læ-
sus est Dei Honor, ejusque Ecclesie, dum Fi-
dem negas exterius, est forte ferves interius.
Tertia, quia Præceptum hoc imponitur, ne ex
Fidei negatione Proximus scandalum patiat. At
tantumdem scandalum Proximus patitur, si
quam Fidem negas exterius, interius teneas:
de sola enim externa negatione judicat Proxi-
mus: quod autem corde teneas, prorsus igno-
rat: hæcque sola externa negatio ruinæ illi oc-
casio est.

Certe Petrus Fidem interius tenuit, quam ne-
gavit exterius, dum Christum nescire se dixit:
Nescio hominem istum, Marci cap. 4. cum pro
illo Christus orasset, ne desiceret Fides ejus; &
tamen suam illam negationem externam, tan-
quam grave delictum poenitentia luit. Illud ita-
que certum, illud indubitatum, Præceptum ne-
gans de Fide scilicet nunquam abneganda, ab iis
etiam violari, qui quam Fidem profitentur in-
terius, exterius negant, ac solis, ut ita loquar,
extremis labris ejant.

Verum altera hic, multoque gravior se se no-
bis aperit Quæstio: si ne perinde Præceptum ne-
gativum violente de Fide nunquam abneganda, qui,
tametsi perfecte, aperteque, ac potuendo, ut ajuat,
ore non negent, fingunt tamen exterius, simu-
lantque negare, prophana Religionis, ac Sectæ
Ritus fornicus, & ad speciem saltem, & fucum
exercendo? Numve sacrilegam illam in Causa

Fidei simulationem, gravis periculi metus excu-
set, occultaque mentis, ut vocant, directio co-
honestet? Quod erit alterius Exercitationis Argu-
mentum.

PRÆLECTIO X.

*Fidei simulationem illicitam omnino esse; nec ulla
unquam posse secreta mentis intentione
cohonefari, probatur.*

Quætionem agendam aggredior præcis Scho-
læ Theologis ignoratam; sed ab iis nuper
in Scholas invectam, qui, ut summi poli-
ticae Scientiæ Magistri dicuntur esse, ita politica
machinamenta, dolos, & artes in ipsam Religio-
nem intulerunt. Quæstio sic habet: Num in Causa
Religionis & Fidei simulare, ac fingere liceat,
prophana Religionis Ritus, ad speciem saltem,
& fucum, exterius exercendo? Numve incurrendi
gravioris periculi metus simulationem illam excu-
set, occultaque Mentis intentio cohonefret? Quid
Quæstionis hujus agitandæ occasionem dederit, non
est meum hic recensere. Imo nec possum, nec
debeo in hanc Provinciam excurrere. A nobis
enim valde remota est. Id unum tamen citra cul-
pam dicere possum; Controversiam istam non
longo abhinc tempore agitari cœpisse; eamque
non nudam Theologorum curiositatem, sed Fidei
ipsum pro sui fundamento habuisse. Fidei
enim, inquam, quo, gravioris periculi metu,
vel majoris spe commodi (utique spiritualis, ut
puto) exterior Fidei simulatio exercebatur, ut li-
cita; quin & ut necessaria probabatur. Tandem
sub Innocentii X. Pontificatu ab Sancta Univer-
sali Inquisitione pronunciatum est, ac definitum
die 12. Septembris anni 1645. *Non licere Idolatriam
exterius, & sic ut venerari, prætextu intentionis ad
Christi Crucem occultam directæ. Quinam lethale
consilium illud delatis quibusdam Neophytis de-
dissent, non inquiri; uti nec scire Theologum
intereit. Verum quod olim factum in remotissi-
mis Regionibus S. Sedes reprobavit, idem nostris
temporibus satis proxime, in Ottomanico nimirum
Imperio frequentari dolemus; ubi Christi Fideles
nonnulli (quibus Doctoribus, atque Magistris ne-
scio) Christianam Religionem occulte quidem te-
nent; Mahameticam tamen Sectam sacrilegæ si-
mulatione publice profitentur; ut expresse habe-
tur in Actis novissimi Concilii Nationalis in Al-
bania Par. 1. capp. 2. & 3. Editionis Romæ cu-
rata anno 1706. Idcirco facturos nos operæ pre-
tium existimavimus, si quantum Theologici mu-
neris est, palam hodie faceremus, quam verita-
tem, quam impia, quam sacrilega illa sit in Causa Re-
ligionis, & Fidei simulatio; quæ nulla omnino
potest secreta Mentis intentione cohonefari: donec
qui potestate, atque auctoritate valent, tantum a
Fidelibus malum avertant.*

Catholicum ea in re Dogma in aperto ponit,
omnesque Cavillationes occupat Christi Sententia
Matthæi cap. 10. ubi cum eos non esse timendos
dixisset, *Qui occidunt corpus, animam autem non
possunt occidere; sed contra timendum esse illum,
qui potest & animam, & corpus perdere in gehem-
nam, confectionem inde intulit. Omnis ergo qui
confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego
eum coram Patre meo, qui in caelis est: qui autem
negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum
coram Patre meo qui in caelis est.* Quibus signifi-
cavit, ne ipso quidem metu mortis ab Homini-
bus interenda abstinendum esse a publica coram
Hominibus Christi Domini Confessione; eodem-
que mortis metu non esse Christum coram Ho-
minibus denegandum. Porro qui retenta in corde
recta

recta Fide falsam Religionem, Hæresimque profi-
tentur exterius, imo & idololatriam exterius exer-
cent, Christum certe coram Hominibus negant:
de hoc enim quod exterius geritur judicant Ho-
mines, non de eo, quod latet intus in corde: nec
secretam illam Mentis directionem, qua cultus
Idolo præstiturus fertur ad Christum, norunt Ho-
mines, atque percipiunt.

Addit & aliud Christus Dominus apud Lucam
cap. 9. quo Suffugia omnia feliciter occupantur:
*Qui me erubuerit, & sermones meos; hunc Filius
Hominis erubescet, cum venerit in Majestate sua,
& Patris, & Sanctorum Angelorum.* Unde ve-
ro, per fidem vestram, externa illa præve Religio-
nis Professio, in Hominum oculis facta? Unde
Idololatria illa in omnium conspectu exercita?
Nisi quod Christum erubescant, quem si non eru-
bererent, confiterentur aperte.

Certe quocumque se vertant simulationis hujus
sacrilegæ Suafores, & Consilarii, illud saltem
concedere compelluntur, iis Christi Oraculis, aliis-
que longe multis ex Evangelio proferendis, veri-
tam esse Fidei negationem sacrilegæ mendacio ex-
pressam: ad non minus mendacii genus est, quo
quis factis fornicus negat, quod corde tenet,
quam quo quis verbis ipsis id præstat. Si itaque
falsam Religionem verbo mentiri non licet, quan-
tumvis vera teneatur in corde, nec falsam Reli-
gionem simulare licebit, ac fingere, vera licet in
corde retenta. Imo cum Animi nostri sensus Fa-
cto verius exprimentur, quem verbo, is profes-
sio Fidem disertius, & apertius negat, qui sese
Idololatriam pro publico Idololatriæ exercitio,
quam si nudo, simpliciter verbo sese Idololatriam
diceret.

Quid plura? Usus amphibologiarum, & æqui-
vocationum distincte damnatus est ab Innocentio
XI. die 4. Martii anno 1679. Propositionem hanc
inter alias tam multas proscribente: *Causa justa
utendi bis amphibologis est, quoties id necessarium,
aut utile est ad salutem corporis, honorem, res fa-
miliæ tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis
actum; ita ut veritas occultatio consensu tunc ex-
pediat, & studiosa.* Porro simulatio in materia
Religionis, & Fidei, prædicæ, ut ita dicam,
amphibologiz & æquivocationis genus est, eo
periculosius, quod infirmis, atque pusillis exte-
rni cultus Idolo delati Spectatoribus argentiore-
m præbeat ruinæ occasionem, qua & ipsi ad
Idola colenda non excitantur modo, sed pertra-
hantur.

Nec est, quod quis nobis bonam Simulantium
illorum intentionem occentet, quæ sacrilegam si-
mulationem cohonefret. Bona enim illa, quæ ja-
ctatur intentio, seu relatio externi cultus Ido-
lo delati ad Christum Dominum, cum occul-
ta, secretaque omnino sit, actum externum
per se malum minime cohonefret; multoque mi-
nus scandalum movet, cum ab Adstantibus in-
firmis in Fide, atque pusillis minime deprehen-
ditur; dum tamen delatus Idolo cultus deprehen-
ditur.

Sed ad rem propius accedamus, & a commu-
nibus juris Regulis ad Facta ipsa, & Exempla
veniamus, quæ simulationem hujusmodi sacrilegam
esse, multo luculentius evincunt.

Egregium hac in specie Exemplum nobis exhi-
bet Liber 2. Maichab. cap. 6. in Persona Eleazari,
Viri ætate grandævii, inter Synagogæ Primor-
es; qui a Rege Antiocho carnes porcinas man-
ducare jussus contra Præscripta Mosaicæ Legis,
simulationem omnem execratus est, quæ facillime
committat sibi mortis periculum devotiss. Fa-
ctum sic se habet: „ Eleazarus unus de Primori-
bus Scribarum, Vir ætate provectus, & vultu
Serrj Tom. IV.

„ decorus, aperto ore hians compellebatur carnem
„ porcinam manducare. At ille gloriosissimam
„ mortem magis, quam odibilem vitam comple-
„ dens, voluntarie præbit ad supplicium. In-
„ tuens autem, quemadmodum oporteret accede-
„ re, patienter sustinens, destinavit non admit-
„ tere illicita propter vitæ amorem. Hi autem,
„ qui astabant, iniqua miseratione commoti, pro-
„ pter antiquam Viri amicitiam, tollentes Eum
„ secreto rogabant afferri carnes, quibus vesci
„ ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut
„ Rex imperaverat, de sacrificii carnibus, ut hoc
„ Facto a morte liberaretur: & propter veterem
„ Viri amicitiam, hanc in eo faciebant humani-
„ tatem. At Ille cogitare cœpit ætatis, ac fene-
„ ditus suæ eminentiam dignam, & ingentis no-
„ bilitati canitium, atque a puero optimæ con-
„ versationis actus: & secundum sanctæ, & a
„ Deo conditæ Legis Constituta, respondit cito,
„ dicens præmitti se velle in infernum. Non enim
„ ætati nostræ dignum est, inquit, fingere: ut
„ multi Adolefcentium, arbitrantes Eleazarum
„ nonaginta annorum transisse ad vitam Alieni-
„ genarum: & ipsi propter meam simulationem,
„ & propter modicum corruptibilis vitæ tempus
„ decipiantur, & per hoc maculam, atque exe-
„ crationem mea senectuti conquiram. Nam,
„ etsi in præsentem tempore supplicii hominum
„ eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus,
„ nec defunctus effugiam. Quam ob rem fortiter
„ vita excedendo, senectute quidem dignus appa-
„ rebo: adolescentibus autem exemplum forte re-
„ linquam, si prompto animo, ac fortiter pro
„ gravissimis, ac sanctissimis Legibus honesta
„ morte perlangar. His dictis, confestim ad sup-
„ plicium trahabatur. Ex quo profecto sanctissi-
„ mi Senis sermo, ac multo magis appetite
„ mortis exemplo perspectum est, illicitam prorsus
„ esse in Causa Religionis, & Fidei simulatio-
„ nem, obtentu etiam extremi supplicii devi-
„ tandi.

Nec est quod nobis reponat aliquis, fuisse illud
Eleazari facinus hæroica Virtutis actum, gratui-
tum prorsus, ac voluntarium; ad quem summo
jure non teneretur; quemque propterea non te-
neamur imitari. Imo Opus fuisse stricti juris,
quod ni fecisset, peccasset haud dubie, liquet aper-
te ex quatuor citatæ Narrationis Adjunctis. Pri-
mo enim inquit Textus facer: *Definavit* (Elea-
zarus) non admittere illicita propter vitæ amorem.
Illicitam itaque rem fecisset, si devitanda mortis
intuitu carnes porcinas manducare simulasset, car-
nes communes edendo. Secundo subjungit Tex-
tus facer, Amicos Eleazari iniqua miseratione suis-
se commotos, dum Eum secreto tollentes roga-
bant, carnes afferri, quibus vesci ei licebat, ut
simularet manducasse, sicut Rex imperaverat, de
sacrificii carnibus. Iniqua igitur erat hujusmodi
comestionis simulatio. Tertio notat Textus ille,
Eleazarum exclamasse, *se maculam & execratio-
nem senectuti suæ conquisiturum*, si quod Amici
suggerebant, fecisset. Pudendum igitur, & exe-
crandum erat, quod illi faciendum suadebant; pu-
denda, & execranda comestio carnis suillæ simu-
latio. Notat ultimo facer Textus, Eleazarum
tandem ultimo professum esse, *se manuum omni-
potentis Dei nec virum, nec defunctum effugere posse*,
si carnes illas, ut Amici suadebant, fingeret
manducare: Divina itaque ultione digna erat si-
mulata comestio, quæ ab Amicis suadebatur. Scri-
pti ergo juris fuit Eleazari facinus; quod ni fe-
cisset, certo peccasset; quodque Fideles omnes,
simili in discrimine positi, debeant imitari: &
quidem sub poena peccati gravis, ob Dei Hono-
rem in re gravissima violatum.

Alterum in eadem Fidei specie suppetit Exemplum in Persona Cephæ, seu Petri, ab Apostolo Paulo graviter asperque coram omnibus oburgati, ac reprehensi ob simulationem longe leviorem, quam quæ modo vocatur in controversiam. Factum sic se habet narraturque cap. 2. *Epist. ad Galat.* Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei resistit, quia reprehensibilis erat. Præterea enim quam venirent quidam a Jacobo, cum Gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahabat, & segregabat se, timens eos, qui ex Circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt ceteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidisset, quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixit Cephas coram omnibus: Si tu, cum Judæus sis, generititer vivis, & non Judaice: quomodo Gentes cogis judicare? Jam vero quis non videat, leviorem longe fuisse simulationem Cephæ, seu Petri, ob quam a Paulo increpitus, & reprehensus est; quam quæ modo de Consilio Laxiorum a Fidelibus nonnullis stolidissime exercetur? In hac enim Legalia jam antiquata servare se simulabat Petrus, quæ re ipsa repudiabat, & ad Salutem inutilia censabat: in ista Fideles idiotæ, ac male consulti adorare se fingunt, quæ re ipsa abominantur, Idola. Quare Petri in materia Disciplina simulatio fuit, Fidelium idiotarum, ac male consultorum in materia Fidei.

Succedit ordine tertium Libellatorum Exemplum, qui cum satis sibi virium non esse experirentur, ut contemptis Imperatorum Edictis, quibus ad cultum Idolorum adiebantur, vincula, carceres, flagella, ac etiam mortem generose perferrent, Libellos a Præfectis Provinciæ numerata pecunia impetrabant, qui illos Imperatorum Jussis obsecutos, thura Idolis dedisse, falso, ac mendaciter testabantur: unde & Libellatici sunt appellati. Qua de re legi potest integer Divi Cypriani Liber de *Lapsis*. Ii porro Libellatici, sedata tandem persecutione, tanquam gravissimi criminis Rei publicæ penitentia subjecti sunt. Equod vero illud erat Libellatorum crimen gravissimum, nisi defertæ, ac violatæ Religionis, ac Fidei simulatio? Hanc enim illos defuisse, ac violasse extorri pecunia Libelli testabantur, quam re ipsa nec defuerant, nec violaverant. Simulationem igitur in causa Religionis, & Fidei pro gravissimo scelere habuit Ecclesia Africana, quanquam devitandi extremi supplicii ratione fieret.

Iis documentis bene informati religiosissimi Martyres, hanc sibi illicitam simulationem agnoverunt, vitandamque suo ipsorum Exemplo docuerunt. Sic Sanctus Saba, cujus Martyrii Acta extant apud Metaphrastem, ad simulacrum Martis ductus cum aliis multis, ut carnes eidem immolatas, in culcus, & adorationis argumentum ederet publice, cum observasset, Lictores ipsos solito humaniores, loco carniū Idolis immolatarum, alias vulgares, ac minime immolatas obtrudere, ut, illis factem comestis, Imperatoris Edicto satisfecisse viderentur, publice exclamasse fertur. *Qui hos cibos comederit, Christianus esse non potest.* Ecce ita? Cum Martis Idolo re ipsa immolati non essent cibi illi. Nempe, quia immolati fingebantur. Sic Sanctus Anastasius apud Bolandum, ad diem 22. Januarii, rogatus per Domesticum Barzabana, quem transmisit ad eum in carcerem, ut verbo solo diceret, se non esse Christianum, quod statim dimitteretur, Respondit: *Ne fiat mihi negare me Christum.* Sic Sanctus Eustratius apud eundem Surium, ad diem 13. Decembris, mori maluit, quam Præsidem audire; iniqua miseratione hortantem, ut sibi pare-

ret, verborum ambiguum tectorio Idololatriam simulando. Uno verbo, D. Justini Martyris in *Apologia 2. ad Antoninum Imperatorem* Sententia est, *Christianos emori malle, quam aut mentiri, aut Inquisitores Fidei fallere dolose, simulatoque Responso.* Quod profecto, si licuisset aliquando, paucos, ac ferme nullos Martyres habuisset Ecclesia. Quare ingentes Deo referendæ sunt gratiæ, quod nefariæ hujus, ac subdole artis Doctores, atque Magistri Scholas nondum aperuissent suas, quo tempore Martyrum Sanguine irriganda Fides erat; ne publico illo testimonio fraudaretur Ecclesia.

Nefariam illam, ac subdolum artem simulandi in Causa Religionis, & Fidei in Philosophis Ethnicis execrati sunt Ecclesiæ Patres numero multi: D. Augustinus *Lib. 6. de Civitate Dei cap. 10.* cum multis ostendisset, Senecam Idola fornicus, & externe colentem, nunquam tamen ex animo, atque sincere eadem illa coluisse, subiungit: Seneca colebat in oculis omnium, quod reprehendebat, agebat, quod arguebat, quod culpabat adorabat. . . . *Eo damnabilis, quo illa que mendaciter agebat, sic ageret, ut cum Populus veteraciter agere existimaret.* En tibi, si bene consilio, quæ in Ottomanico Imperio, & alibi etiam longius a nobis luditur fabula de Consilio laxorum moralis Evangelicæ Corruptorum.

Origenes *Lib. 7. contra Celsum*, non longe a fine scribit in hæc verba: *Non igitur fieri id poterit, ut & Deum quis noverit, & simulacris ut supplicet: nec solum status supplicare volens est, sed quod plerique usurpant, vel hoc ipsum dissimulare: quod utique Peripatetici faciunt, & Epicurei, & qui Democriti decreta suscipiunt.*

Eandem simulandi artem execrati sunt in Arianis; Sanctus Hieronymus *Epist. 61.* in Priscillianistis; Divus Augustinus *Lib. contra Mendacium cap. 2.* in Manichæis, Apollinaristis, Pelagianis; Sanctus Gregorius Nazianzenus *Oratione 42.* Sanctus Cyrillus Alexandrinus *Epist. 2.* Photius in *Bibliotheca Cod. 179.* Sanctus Augustinus *Lib. de gestis Pelagii*: Quod nimirum æquivoce, ac subdolis artibus Concilia, Patres, Pontifices lûdere, istdemque fœcum facere niterentur. Ut hinc noverint quos primos Doctrinæ suæ duces habeant, qui in Causa Religionis, & Fidei simulandi artem in Ecclesiam invehere moliantur. Sed motos prælat componere studeo. Hæc altera quæ ipsi sui defensionem proferant, expendemus, ac rebutabimus.

PRÆLECTIO XI.

Momenta adversus Assertionem in superiori positam resutantur.

IN aciem tandem veniunt Moralis Evangelicæ Corruptores, ut quam hæctenus vetitam diximus in Causa Religionis, & Fidei simulationem, atque fictionem, eandem nobis licitam, & honestam ostendant. Auctoritate, & ratione destituti Exempla nonnulla misere contradunt, quibus id pie, ac religiose fieri posse contendunt, quod a piis religiosisque Viris factum est aliquando. Quibus omnibus exstantibus, ac diluendis Exemplis una satis esse D. Augustini Sententia *Lib. contra mendacium cap. 9.* Hæc quando in *Scripturis sanctis legimus, non ideo quia facta credimus etiam faciendâ credamus; ne violemus præcepta, dum passim sectamur exempla.* Nec enim Sancti in omnibus, quæ gesserunt, sancti fuerunt, sed suos quandoque passi sunt manes. Ne tamen Exemplorum illorum, quæ nobis obijciuntur, gravitate deterriti dare terga videamur, ea distinde, ac singularem

expediemus; nihilque hujusmodi a Viris religiosi, ac piis facilitatum, ad oculum demonstrabimus.

Primum itaque omnium in hanc scenam inducitur Naaman Syrus, Princeps Militiæ Regis Syriæ, qui ab Elifæo Propheta postulavit, licitum sibi fieri Dei nomine, adorare una cum Hero suo Rege Syriæ idolum Remmon extrinsecus tantum, ut credere par est, & in speciem; quod ultra cum bona pace Elifæus indulset *Lib. 4. Regum cap. 5.* Hoc autem solum est, inquit Naaman Elifæo, de quo deprecaveris Dominum pro servo tuo: quando ingredietur Dominus meus Templum Remmon, ut adorat: & illo imminente super manum meam, si adoravero in Templo Remmon, adorante eo in eodem loco, ut ignoscit mihi Dominus servo tuo, pro hac re. *Qui dixit ei: Vade in pace.* Quo responso fin minus excedende, at saltem simulandæ, fingendæque idololatriæ licentiam indulgisse videtur Propheta Sanctissimus.

Non est tamen ita, ut prima fronte videtur, non est ita: sed ex sinistra vocis hujus adorare intelligentia natus est error; quæ perinde corporis inclinationem, & delatum cultum latreuticum sonat. Non enim Idoli adorandi, cultusque latreuticus profectum licentiam ab Elifæo petierat Naaman Syrus, sed inclinandi in Templo Remmon corporis veniam postulaverat, ut solitum hero suo Rege, ad colendum Idolum profunde inclinato, atque incurvato, ministerium, obsequiumque præstaret. Cum enim solerent Syriæ Reges nonnisi & Spatriis suis brachiis inixi in publicum procedere, non poterant certe ad latreuticum Remmon cultum deferendum incurvari, nisi ipse etiam Spatrius (quo tunc munere Naamanus defungebatur) inclinaretur: hocque unum est, quod usurpato adorationis vocabulo, licitum sibi fieri, ab Elifæo petierat Naamanus: quasi diceret: *Ignoscit mihi Dominus, si inclinante se Rege Syriæ ad cultum Remmon exhibendum, inclinem & ego, ad meum illi ministerium, atque obsequium præstandum:* hocque illi Elifæus ultro concessit his verbis, *vada in pace;* quod nullum inde scandalum in adstantes Aulicos oriturum certo sciret, quibus Naamanus plus nimio notus erat, uti Dei Israelis religiosissimus cultor, & a cuiusquamque Idoli cultu alienissimus; qui non ad Remmonis venerationem, sed ad Regis obsequium incurvabatur. Eoque pacto scrupulum, quo piissimus Neophytus angebatur, id ne sibi liceret, exemit, avulsi, extirpavit Propheta.

Ergone, inquit, ex licentia Naamani Syro, facta ab Elifæo, licitum erit Familiæ ministeria præstare Heris suis peccantibus? E. G. Hero suo ad Amasiam furtim, ac per fenestram introeunti scalam deferre, muroque admovere? Certe non defuere Moralis Evangelicæ Depravatores, qui id licitum dixerint, qui & idcirco ab Innocentio XI. eo in capite damnati fuere anno 1679. hæc Ipsorum Propositione num. 51. proscripta: *Famulus qui submissis humeris scienter adjuvat Herum suum ascendere per fenestras ad suprandam Virginem, & multoties eidem servituti deserendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti; puta, ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.* Quare, ut hæc Difficultas expediatur, varii generis ministeria sunt distinguenda: alia communia, & generalia Dominis suis præstari solita, ad quotidianum, & necessarium obsequium: alia peculiaris, singularia, & propria peccantibus, quæ ad peccatum patrandum aliquatenus influunt. Prioris generis ministeria Heris suis forte peccantibus præsta-

Serry Tom. IV.

re Famili possunt, tuta conscientia; non item alterius. Sed id obiter: neque enim ad Institutum nostrum hæc attinent.

Secundo loco proferitur Exemplum Jehu Regis Israelis, qui idololatriam exercere, & Baali Sacrificium offerre se velle simulavit ac finxit, ut ea arte perderet, deleteret Cultores Baal; quod & feliciter gessit; ut habetur *Lib. 4. Regum cap. 10.* Congregavit ergo Jehu omnes Populum, & dixit ad eos: *Ahab coluit Baal parum, ego autem colam eum amplius. Nunc igitur omnes Prophetas Baal, & universos Servos ejus, & cunctos Sacerdotes ipsius vocate ad me; nullus sit, qui non veniat; sacrificium enim grande est mihi Baal; quicumque deseruit, non vivet.* Porro Jehu faciebat hoc insidiosè, ut disperderet Cultores Baal. . . . Factum est autem, cum completum esset holocaustum, præcepit Jehu Militibus, & Ducibus suis: *Ingredimini, & percute eos, nullus evadat.* Perussissentque eos in ore gladii; & projecerunt Milites, & Duces; & jerunt in Civitatem templi Baal, & prosulerunt Statuam de sano Baal, & combusserunt, & comminuerunt eam. *Destruerunt quoque adem Baal, & fecerunt pro ea latrinas usque in diem hanc.* Delevit itaque Jehu Baal de Israel. Quo certe nihil videtur esse disertius.

Quominus tamen ex eo Jehu facto aliquid colligant Adversarii, ad simulationem in causa Religionis, & Fidei cohonestandam, obstant tria observatione dignissima. Primum, quod Jehu piis, ac religiosis Israelis Regibus non adnumeretur, quorum gesta nobis sunt ad exemplum proposita: unde illico additur laudato Libri Regum loco: *Veritatem a peccatis Jeroboam filii Nabat, qui peccare fecit Israel, non recessit, nec dereliquit Virgulus aureos, qui erant in Bethel, & in Dan. . . . Porro Jehu non custodivit, ut ambularet in Logo Domini Dei Israel in toto corde suo; non enim recessit a peccatis Jeroboam, qui peccare fecerat Israel.* Secundo, quod factum illud referatur duntaxat Sacris in Litteris, non laudetur, vel approbetur: cuiusmodi alia tam multa, nec laudata, nec approbata in Scriptura narrantur. Tertio, quod si forte laudaretur, ob finem optimum laudaretur, destruendi nimirum Cultores Baal, non ob Medium ad finem illum obtinendum assumptum: Nec enim sunt faciendâ mala, ut veniant bona: Et non (sicut blasphemamur, & sicut ajunt quidam nos dicere) faciamus mala, ut veniant bona: quorum damnatio justa est: ajebat Apostolus ad Rom. cap. 3.

Tertio proferitur Apostolorum Exemplum; qui post aboletam, & antiquatam Mosaicam Legem, nonnullos illius Ritus & observantia ipsi, & a Fidelibus Christianis observari lubenter permittebant: quod certe nonnisi simulatione, atque fictione factum intelligi potest. Unde & Apostolus de se ipso ajebat: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucraver: iis, qui sub Logo erant, quasi sub Logo essem (cum ipse sub Logo non esset) ut eos, qui Logo erant, lucrificarem. Iis, qui sine Logo erant, tanquam sine Logo essem (cum sine Logo Dei non esset: sed in Logo esset Christi) ut lucrificarem eos qui sine Logo erant. Factus sum infirmis, ut infirmos lucrificarem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos. Omnia autem facio propter Evangelium: ut particeps ejus efficiar.* Unde erunt perspicacissimi simulatores, licitum esse Fidei simulationem ob bonum finem, spirituale videlicet Proximorum commodum, majoremque Dei gloriam, & Christianæ Religionis incrementum.

Perperam tamen, & inconsulto hæc erunt falsi Apostolici dicti, & Apostolicæ consuetudinis Interpretes. Imo, inquit ego, non animo ficto,

ac simulato, sed sincero proflus, Legalia brevi illo temporis interstitio servabant Apostoli: non quidem, ut in eis spem salutis reponerent; sed ut qualemcumque illis venerationem exhiberent, & extinctam jam, atque Emortuam Synagogam cum honore ad tumulum ducerent; ut loquitur Augustinus. Quod autem de se ait Apostolus: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, & cetera*, non ob simulationem Rituum Judaicorum est dictum, sed ob commiserationem, indulgentiam, officiosamque charitatem, qua illos prosequatur. Quemadmodum & Gentilibus Gentilis est factus; quorum tamen Ritus nunquam vel simulavit, vel exercuit; sed perpetuo est execratus.

Eccur ergo, inquis, non perinde licebit Ottomanicis, ceterisque longe remotioribus, ad Fidem recens convertis, Ritus suos vel superstitiones, vel idololatrias ad tempus saltem servare, ac prudenti quadam œconomia celebrari, donec Catholica Fides ipsa in partibus plena, & integra pace fruatur?

Proh quam diversa, quam dissimilis Judaicorum, & aliorum Rituum conditio! Illi Deo jubente, ad veri Dei cultum primitus instituti, se ipsa Sancti, pii, religioseque fuerunt. Ibi, instigante Diabolo, ad falsorum Numinum cultum excogitati, se ipsi impij, sacrilegi, prophani fuerunt semper, suntque etiam in præsens. Quare isti nec ad momentum servari, aut tolerari a Fidelibus possunt; quamquam alij prudenti quadam œconomia, justisque de causis, certo quodam temporis interstitio, ab Apostolis, primitusque Fidelibus servari poterint. Qua de re legendus est Liber eruditissimus a Doctissimo Viro Ludovico Maria Lucino Ord. Præd. ac Generalis Romane Inquisitionis Commissario Benedicto XIII. consecratus, cui Titulus *Esame, e Dissesa del Decreto pubblicato in Pubblica da Monsig. Carlo Tommaso di Tournon, &c.* Editus Venetiis anno 1729.

Jactatur præterea S. Auxilii Episcopi Soliensis Exemplum, qui a S. Joanne Marco Christi Discipulo Solum missus ad Christianam illie Religionem fundandam, hoc ab illo consilium cepit, atque ad Idololatriam animos sibi conciliandos, atque ad Christianam Fidem suaviter traducendos: *Nullus modo Christianum esse renoverit; sed ipsorum se superstitionem sectari simul; ut haberetur in Actis, ab Auctore, testeque oculato conscriptis, & a Bollandio productis ad diem 19. Februarii.*

Nec minus perperam hæc quoque jactantur; cum sint Acta illa omnino spuria, & apocrypha, ab inepto scribilitate longe post quintum Ecclesie Sæculum confarcinata; neis ac fabellis infarta, putridisque anachronismis inquinata; ut palam offendit Clarissimus Tillemontius nota 5. in *Historiam Joannis Marci*. Cui & id addere juvat, insulam proflus & impiam rationem iis in Actis afferri, cur S. Auxilius, de consilio Joannis Marci, Idololatriam se simulaverit, ut Soliensis Idololatrias ad Fidem traduceret: *Si enim Diabolus transfiguratur se in Angelum lucis, ut eos qui ipsi credunt ad se pertrahat, & orationis blanditiis, copiaque verborum a luce ad tenebras transferat, ut & ipsius ministri faciant; quanto magis debemus nos ipsi transfigurare in homines iisdem obnoxios affectibus, ut eos a perestare tenebrarum, & diaboli abducamus, & in admirabile lumen agnitionis Domini nostri Jesu Christi filii Dei transferamus.* Quis, quæso, Joannem Marcum, Christi Discipulum, Divi Barnabæ in prædicatione Evangelica socium individuum, ita ratiocinatum sibi fingat?

Iis prioris ætatis Exemplis additur alterum sæculo quarto celeberrimum, S. Eusebii Vercellensis Episcopi; qui hæreticis Ariani Ariam se esse

simulavit, ut de Hæresi Filium suum, quem illi iniqua fraude delulerant, liberaret. Factum narrat S. Ambrosius *Sermone 15.* nunc est 69. inter Ambrosianos habito in die natali S. Eusebii Vercellensis, ac etiam approbat, & laudibus effert: *Illud autem tacendum omnino non arbitror, quod cum Ariarum detestanda perfidia totam cum Universa Mundo Italianam perturbasset, atque ejusdem pestilentia Sacerdotes simplicitatem Sancti Dionysii captivassent, ita ut subscriptionis ejus vinculum retinerent, qua illum e manibus eorum sapientia liberavit? Sicut enim ait S. Paulus; factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrificarem: ita Eusebius Hæreticis se esse hereticum mentis est, ut de Hæresi Filium liberaret. Dixit enim, eorum se consentire perfidie, hoc sibi placere, quod illis: sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo proponeret, graviter se moveri: Voc enim, inquit, qui dicitis Filium Dei Patri Deo æqualem esse non posse, cur mihi Filium prætulistis? Qua Illi ratione permoti, statim S. Dionysii cyrographum deleverunt, priorem locum subscribendi Beato Eusebio deferentes. Quos ille increpans, & irridens ait: Neque ego me vestris sceleribus pollio, neque Filium meum vobiscum participare permisso. Quo quidem ad simulationem cohonestandam, atque excusandam efficacius afferri potest?*

At Divi Ambrosii Sermonem illum non esse, omni modo fateatur eruditior Natio, a cujus stilo, & ætate proflus abhorret. Quoniam, si illius re ipsa foret, (aut etiam S. Maximi Taurinensis, cui illum Gennadius Massiliensis adjudicavit) nihil inde simulationis in Causa Religionis, & Fidei Approbatoris, ac Defensores in sua Sententia præsidium extenderet possent. Factum enim simulatum, ac fictum duplicis generis esse nemo necit: aliud quidem confans, ac permans, quo violatur sinceritas, ingenuitas, sermone candor, atque simplicitas; alterum, quod momento ipso explicatur, corrigitur, denudatur. Primum illicitum est, alterum licitum; imo quandoque laudabile; estque potius ironica derisio erroris, quam externa illius approbatio. Hujusmodi fuit Pactum Matris septem Filiorum Machabæorum; quæ suasuram se Filio suo, ut Regis Antiochi Mandato obsequeretur, adpromisit; cui potius contrarium confestim suavit, imo persuasit; dum inclinata ad Filium, irridens crudellem Tyrannum patria voce dixit ei *Lib. 2. Machab. cap. 7.* *Peto nate, ut aspicias ad Cælum, & Terram. . . . Ita fiet, ut non timeas Carnificem istum; sed dignus Fratris tuis effectus participes suscipere mortem;* quibus verbis eum ad martyrium fortiter subeundum induxit. Ita plane Eusebius Vercellensis, si Arianos iis verbis est allocutus, quæ ejus in ore posuit laudati sermonis quisquis est Auctor: *Fidei vestre consentio. . . . Idem placet mihi, quod vobis;* ironice, ac derisorie locutus est: cum itatim, eodemque temporis vestigio palam illis fecerit, non idem sibi placere, quod illis, illorumque perfidie minime consentire, imo Facto, ac re ipsa damnari.

Idem reponere juvat ad alia nonnulla simulationis Exemplum, in Causa Religionis & Fidei a moralis Evangelicæ Inquisitionibus objici solita. Primum est Sancti Ephrem Syri, qui finxit, vel se profiteri Sectam Hæreticorum, ut ab iis Librum acciperet Erroris Ipsorum capita continentem: quem cum ab illis obtinisset, torum fœde confaravit, ac laceravit. Alterum est S. Juliani Martyris, qui, ut legitur apud Bollandum ad diem 9. Januarii, a Præside invitatus, ut cum Sociis suis veniret in Templum, solenni pompa ornatum, ad Sacrificium illi Gentium Diis offerendum, respondit: *Quia cognosco verum tempus,*

ut & nos salutem consequamur, & Numina a vobis honorentur, sæc omnes Sacerdotes Deorum intus adesse, ut cognoscant quale sacrificium illis offeremus, & adjecit B. Julianus: *Bene vales optime Præses, qui tam acceptabile tempus nobis laudem, & gloriam acceptivis persuades, & omnibus in uno commanentibus Diis vestris præcipis immolari, quod non piget. Nam ideo distulimus, ut in isto Templo mirabili, quod habetis, magnum sacrificium omnibus immolarem.* Cum autem Gentiles, ac Sacerdotes innumeros Templum subijisse animadvertisset Julianus, fusa ad Deum prece Templum dejecit in terram, prostravitque, omnesque intus oculos ejusdem ruinis oppressit. Tertium est Sanctarum illarum Virginitum, quæ uti extat in *Actis S. Basilii, apud Surium ex Metaphraste die 3. Februarii*, a Præside invitatae, ut ad Sacrificium Diis offerendum accederent, responderunt: *Si vis ut Diis tuis sacrificemus, eamus prope Lacum; nos autem cum ablativum vultus vestros ad Lacum, accedemus, & Diis sacrificabimus.* Quo cum Illæ venissent, Idola omnia illuc allata in Lacum proiecunt.

Certe iis in Casibus, cum statim, ac ipso momento significarint Martyres, quid re ipsa in animo gererent, dum velle se, aut Sectam hæreticam profiteri, aut Diis Sacrificium offerre dixerunt, ironice plane, ac derisorie locuti perhibentur, atque ita sine mendacio, sine simulatione sacrilega, sine scandalo Hæreticos, & Idololatrias jocum ludumque fecerunt.

Opponi denique solet a nonnullis simulationis in Causa Religionis, & Fidei Defensoribus; quod per sacros etiam Canones liceat Fidelibus apud Infideles degentibus, aut contra eosdem Terra Marique pugnantibus, illorum vestes gestare palam, ac publice, Signaque Illorum militaria deferre; ut vel hoc pacto suæ consulant incolumitati, hostesque decipiant.

Hæc tamen in specie indumenta, & signa militaria distinguenda veniunt; & quæ sunt distinctiva Nationum, & quæ sunt distinctiva Sectarum, ac Religionum: priora Fidelibus licita faciunt sacri Canones, posteriora non item. Quocirca Tertullianus severioris, strictiorisque Disciplinæ Doctor *Lib. de Idololatria cap. 18.* observat, Joseph in *Ægypto*, & Daniel in *Babylone* inculpatè proflus, & integerrime indumenta gestasse, & insignia Dignitatum, quibus a Regibus ornati fuerant; modo nil cum *Ægyptiorum*, & *Babyloniorum* Idololatria commune haberent. Proprius habitus, inquit, uniuscujusque est, tam ad usum quotidianum, quam ad Honorem, & Dignitatem. *Igitur Purpura illa, & aurum, cervicis ornamentum, eodem more apud Ægyptios, & Babylonios insignia erant Dignitatis. . . . non ut suggestus ille Sacerdotis quoque, aut aliquibus Idololatriæ Officiis adstringeretur.* Unde & colligit, posse etiam Christianos, ubicumque degentes, deferre, si necesse fuerit, insignia Nativitatis, & Ordinis; non superstitionis; ut in quibusdam remotis Regionibus Christianæ Doctrinæ Magistri aliqui, verius Pseudomagistri, licitum faciunt, nec quidem ignoranter, sed seienter, post lata etiam Apostolicæ Sedis, vel ejus Legatorum Decreta, ejusmodi superstitionis signa proflus improbantia, atque prohibentia. Cujus quidem Disciplinæ rationem dederat paulo ante Tertullianus *cap. 14.* inquit: *Licet convivere cum Ebriis: commori non licet. Convivamus cum omnibus: collemur ex communione Naturæ; non superstitionis. Pares Anima sumus, non Disciplina: Compassiores Mandi; non Erroris.*

Cætera nil moror hic simulationis exempla, quæ a Viris quandoque piissimis data sunt, ex-

tra casum tamen Religionis, & Fidei; de quibus nihil est, quod hic statum, atque pronuntium; cum de Fide duntaxat ex Instituto disputem, non de mendacio in univèrsam.

Fatendum tamen bona Fide, non pauca proferri hujusmodi Simulationum Exempla, quæ licet, spectato, quo factæ sunt, fine, laudem approbationemque mereantur; ipso tamen per sese spectato Facto, excusari a Mendacio omnino non possunt. Sic S. Ambrosius electus Mediolanensis Episcopus crudeliter se simulavit, Reis præter morem duriora tormenta jubens adhiberi: imo & impudicum se finxit, Meretrices ad se ingredi curans; ut, illis visis, Populi ipsum Episcopum postulantis intentio revocaretur: ut refert Paulinus in *ejus Vita*. Sic Sanctus Apollinaris Patriarcha Alexandrinus Ecclesiam suam Homini cuidam multarum librarum auri debetricem simulavit, falso contractu supposito, ut Filio ejus, Patre orbat, bonisque omnibus destituto, subveniret: ut scribit Joannes Moschus in *Prato Spirituali cap. 193.* Sic S. Ephrem Syrus, cum electus esset Episcopus, Eumque comprehendere conarentur, qui Decretum Electionis attulerant, tanquam illum ad Ordinationem adducturi, statim in Forum ecurrerit, & indecore incedens, ac vestem trahens, in publico comedens, se pro infans spectandum exhibuit; ubi vero Illi, qui Eum comprehensuri venerant, hominem mente captum arbitantes, appetere illum ulterius, ac persequi desisterunt, Is opportunitatem nactus aufugit; & eo usque delituit, donec alius fuisset ordinatus: ut refert Sozomenus *Lib. 3. hist. cap. 15.* Sic quidam Palæstina Monachi sanctitate celebres in saculum ex Eremito prodibant, & in media Hominum multitudine insanos se simulabant, inanemque gloriam concubant: ut refert Evagrius *Lib. 1. Hist. Ecclesiast. cap. 21.* Sic S. Flavianus Antiochenus Episcopus Messalianorum Hæreticorum arcana detexit, ficta simulataque in unum ex illis Delirum Senem officiosa salutatione, urbanitate, atque humanitate; ut scribit Theodoretus *Lib. 4. hist. cap. 10.* Sic Constantius Imperator, Pater Constantini Magni, ut veri Dei Cultores ab Infidelibus fecerneret, finxit velle se illos ad publica Curie suæ Ministeria feligere, ut ea spe illecti palam prodirent: quos Is subinde reiectos, & cognitos e Curia procul eiegit: ut est apud Eusebium *Lib. 1. de Vita Constantini cap. 11.*

Earum simulationum Exemplis, quæ, meo quidem judicio, ex toto excusationem non habent, adjungerem non illibenter illam quoque Davidis *Lib. 1. Regum cap. 21.* memoratam; dum, ut personam suam occultaret Achis Regi Geth, os suum coram Illo immutavit, inter manus fervorum ejus collabebatur, impingebat in ostio portæ, salivamque suam in barbam defluere sinebat; ut vel sic speciem infanti hominis exhiberet. Nec enim eximia Davidis Sanctitas obest, quinominus illum aliquid humani passum certis in Casibus existimemus, qui plus nimio suos aliquando passus est manes. At repugnat D. Augustinus *Enarratione 1. in Psalmum 33.* qui Factum illud Davidis propheticum fuisse docet, & Spiritu Sancto movente peractum; ut Christi incarnati humilitatem, & mysticam Vultus ejus in novo Corporis, & Sanguinis ejus sacrificio immutationem significaret.

Absolute jam Tractatione de Fidei necessitate, dicendum modo venit de numero, & ordine credendorum; seu de Symbolis, quæ credendi Articuli continentur. De his itaque in sequentibus, quæ necessaria sunt, delibabimus.